



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 64. Diploma pro Fratibus Mendicantibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

tertium S. Francisci Ordinem amplexus Sæcul. XIII.  
 est. Præcipue ei lubebat se despectum A.C. 1299.  
 reddere: quo fine insanum se simulabat  
 tam belle, ut reapse talis creditus, nec  
 Jacobus postea, sed Jacoponus contem-  
 ptim vocaretur. Sic annos decem tra-  
 xit. Deinde vitam obedientiæ vinculo  
 adstrictam tutiorem ratus, ut in primum  
 S. Francisci Ordinem admitteretur, pe-  
 tiit. Sed voti non est damnatus nisi post  
 experimenta grandia, & præsertim ob-  
 scriptum sapientissimum, quod de con-  
 temptu rerum fluxarum composuerat,  
 Tametsi litteratissimus, & Doctor erat,  
 non fieri Sacerdos, sed frater laicus  
 esse voluit.

§. LXIV.

*Diploma pro Fratribus Mendicantibus.*

Hoc anno 1299 Papa Bonifacius con-  
 troversias inter Clerum secularem  
 ac Religiosos Mendicantes oriri solitas  
 sublaturus sanctionem edidit, cujus hæc  
 erat summa: Fratres Prædicatores Mino-  
 resque libere concionari poterunt in tem-  
 plis aut locis publicis extra horas, qui-  
 bus locorum Præsules orationem sa-  
 cram dicere aut coram se dici volent.  
 Hoc illi pariter omittent in Univerlita-  
 tibus

*Extrav.  
 comm. Sup.  
 cath 2. de se-  
 pult. Dubou-  
 lai to. 3.  
 p. 545.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1299.

tibus ea hora, qua sermo ad Clerum haberi solet, vel qua is Præpositi iussu conveniet. Non dicent ad populum in templis parochialibus, nisi a Parochis invitentur, aut copiam obtinuerint. In locis, ubi Fratres isti habent domicilium, eorum Præsides a Præsulibus demitte poscent, ut Fratribus seligendis liceat confessiones sacras audire: delectos illis sistent, ut hanc functionem in ipsorum dioecesibus exercendi facultatem accipiant: & horum poenitentiarum administrorum numerus accommodabitur ad numerum Cleri ac populi. Hunc eis permissum si denegent Præsules, nos damus per plenitudinem autoritatis nostræ, non tamen ultra potestatem Parochis ex Jure propriam.

Fratres etiam suis in templis humare poterunt cunctos, qui hoc voluerint. Ne vero Parochi juribus fraudentur suis, volumus Fratres religione adstrictos esse adtribuendum eis quadrantem omnium, quæ ob sepulturas receperint: sed plus exigere Parochi haud poterunt. Cæterum hortamur omnes Præsules ac Parochos, simulque præcipimus, ut ne difficiles se Fratribus istis exhibeant, sed e contrario charitatem erga eos ac liberalitatem ut exercent. Hæc sanctio effectum a Papa speratum adeo non habuit, ut augetet diffidia.

§. LXV.